

## Apuleiana.

---

### I.

Dum in thesauri latini usum Apulei libros ad philosophiam pertinentes examino, nonnulla margini adscripti, quorum partem publicandam duxi. Omnia autem quos perlegi librorum nullus pluribus scatabat mendis quam *Asclepius* dialogus non ab ipso Apuleio de Graeco translatus. Cuius fortasse ne recensio quidem absoluta est; nam alterius familiae unum codicem M adhibuit Goldbacher, extat vero in museo Britannico inter addendos codex 11983 in fine mutilus, saec. XI., si fides catalogo, i. e. etiam libro M vetustior. Sed utcunque ea res se habet, iam nonnullos dialogi locos consideremus.

Ipsum exordium corruptum esse sensisse videntur veteres, oblitii esse recentes; nam quid sibi velint verba: *Asclepius iste pro sole mihi est deus nemo adhuc perspexit; idcirco erux eis adponatur.*

Ut in libro diu neglecto fieri amat, multi loci solo interpunktionis vitio laborant. Id genus loci extant 30, 12 ubi eiusdem enuntiati sunt quorum *idem gubernator deus omnium.* 42, 19 ubi post *sacratum* incipit parenthesis, quae magis magisque crescens totam structuram evertit. 52, 20 ubi *ipse coniungendum* est cum sequentibus. 58, 1 *caelum . . . vel clarescens vel sordescens in una caeli specie:* *hae sunt quae saepe alternantur species.* Non opus est multis exponere, colon ante, non post verba *in una caeli specie* poni debere. Atque etiam verba 31, 22 sqq. quamvis depravata meliore digna sunt distinctione. Cf. 35, 28.

30, 15 *naturam autem per species imaginans mundum per quattuor elementa ad caelum usque perducit cuncta dei visibus placitura.* Mentirer si haec omnia intellegere me dicerem; id vero scio pro *uisibus* reponendum esse *iussibus.* Quae praece-

dunt, fortasse sic refingenda sunt: *naturam autem perspicies . . . perduci.*

30, 19 *genera rerum omnium suas species sequuntur, ut sit ita soliditas (sic M, solidata ceteri) genus, species generis particula.* Genera speciebus esse priora quivis scit et, si nesciat, ex his ipsis verbis discere potest; ergo *suae species verum est.*

31, 2 *reliquorum genera, quorum aeternitas est generis, quamvis per species occidat, nascendi fecunditate servatur.* Nisi anacoluthon inesse statuas, scribendum est *servantur*, idque ex codice aliquo enotat Hildebrand, si notas eius arcanas recte interpretor. Sic etiam *multiformi imaginum qualitate variata* 29, 29 (edd. pro *aequalitate*) si minus recipiendum, at certe adferendum erat; sic 34, 12 *ea quae ab hominibus . . . fiunt, ut (edd. pro aut) ipsius terrae cultus sine dubio verum est*<sup>1</sup>.

31, 12 *quicumque ergo daemonum a genere suo defluentes (sic G, -ens ceteri) in speciem fortuito coniuncti sunt alicuius speciei, generis divini proximitate et consortio diis similes habentur. quorum vero daemonum species sunt qualitate sui generis perseverant, hi . . . daemones nuncupantur.* In his complura turbata sunt; quod ut intellegas, commate quod est post speciei deleto interpunge post *divini*: statim intelleges *alicui speciei requiri.* Deinde *sunt ferri non posse manifestum est, et nonnulli delerunt; sed editor recentissimus medicinam invenire sibi visus est quae inserens post sunt, qua nihil profici non est quod dicam.* Immo *sunt muta in in et omnia optime se habebunt.*

Pergit ita: *similis est et hominum aut eo amplior (sc. species, nisi quid excidit aut corruptum est). multiformis enim variaque generis humani species et ipsa a praedictae desuper veniens . . . Fuerunt qui cum codice L ederent a praedicto, Gold-*

---

<sup>1</sup> Nolo in ea digitum intendere, quae Goldbacheri editione emissa correxerunt Rohde et Koziol (*velut mundi inferioris* 36, 13); sed mentione dignum est librarios multa invenisse aut vera aut veri similia. Velut G recte scriptis se *etiam secundam (-dum ceteri) esse imaginem dei* 35, 25 (frustra obloquitur Koziol Stil des Apuleius 338). 45, 3 *sic compositum est per voluntatem dei hominem constitutum esse:* F recte delevit est, praeterea scribendum est *constituit, ut esset.* Cf. 54, 16. 17. 25. 55, 2. 56, 12. Veram lectionem servavit M 41, 25. 49, 14, GPL 50, 30 *turbanibusque aeris ignis (pro igni) et aquae saepe discordantibus tradit* quae respondent graecis (apud Lydum de mens. 167, 17 Wuensch): καὶ φέρονται κατὰ τοῦ ἀέρος σφενδονούμεναι καὶ κατὰ τὰς πυρώδεις καὶ χαλαζώδεις ζῶντας.

bacher post *praedictae* lacunae signum posuit (quo remedio iusto saepius utitur); mirum est neminem incidisse in id, quod statim se offert, *praedicta*, sc. specie daemonum.

33, 24 ergo (deus) *ut tantus et bonus esset voluit alium* (sc. hominem), *qui illum, quem ex se fecerat* (sc. mundum), *intueri potuisset*. Altum editorum soperem inde poteris aestimare, quod haec intacta reliquerunt ad unum omnes. Neque enim ideo deus hominem facit, ut ipse bonus sit, sed quod bonus est et alterum quoque opere suo pulcherrimo gaudere vult. Qua ratione loco medendum sit, perspicias considerans verba *voluit alium* manca esse: *ergo ut tantus et bonus esse voluit alium* = ὡς τοσοῦτος καὶ ἀγαθὸς ὥν; quod participium omittitur ut 36, 3. 43, 4 *hic ergo solus ut omnia* = ὡς πάντα ὥν Apul. DS 18, 23. 19, 8 de Plat. 64, 9 *talis igitur ac de talibus Plato non solum herorum virtutibus praestitit.*

35, 16 *effector mundi deus et eorum quae insunt omnium simul cuncta gubernando cum homine ipso, gubernatore compositi, quod totum suscipiens homo id est \*\*\* curam propriam diligentiae suae efficit, ut sit ipse et mundus uterque ornamento sibi.* Sic haec leguntur in editione novissima; at quid tandem suscipiat homo sic non dicitur. Commemorari igitur debet, quid dens homini muneris detulerit; quod ut restituerem, primo cogitavi de *governator est compositi*, postea in libris PL loco verborum *cum homine variam inrepsisse lectionem* vidi *governatorem composuit*, quam veri simillimam existimo, dum scribas *in homine ipso gubernatorem composuit*. Ubi in similiter adhibetur ac in illo: *mulla in mancipiis, in pecore* (Mueller ad Cic. III 1 p. 47, 19 Hand Turs. III 276, 44 Hartel patrist. Stud. II 54<sup>1</sup>) cf. Minuc. 20, 5 *dum defunctos eos desiderant in imaginibus videre, dum gestiunt eorum memorias in statuis detinere.* Apul. de Pl. 66, 2, et de ēv eodem modo adhibito Nuth de Marci diaconi vita (diss. Bonnens. 1897) p. 52. Sed hoc mōrdicus non teneo; verum in sequentibus quod inest vitium tollendum esse arbitror non lacuna statuta — nihil enim desideramus —, sed v. *est expuncto*: sic ut pendet ab *id* et omnia recte se habent.

36, 23 *hunc ergo* (sc. hominem) *sic effectum conformatumque et tali ministerio obsequioque praepositum a summo deo cumque competenter mente mundum servando, decum pie colendo, digne et competenter in utroque dei voluntati parentem.* Nemo in his haesisse videtur, etsi verba *cumque competenter* vel obiter legentem offendunt; quae ex eo quod sequitur *competenter* orta mihi viden-

tur. Confer quae simile vitium in Firmico nostro p. 249, 28 a Buechelero egregie sublatum, et in hoc libro p. 43, 17.

36, 34 *ut emeritos atque exutos mundana custodia nexibus mortalitatis absolutos naturae superioris partis id est divinae puros sanctosque restituat.* Ineptit Hildebrand *naturae iungens cum puros;* immo *parti scribendum est.* Fuit fere εἰς τὴν τῆς κρείτ-  
τονος φύσεως λῆξιν τουτέστι τῆς θείας καθαροὺς καὶ δσίους ἀποκαθιστάναι. Cf. Schoell in Procli indice s. u. λῆξις. de myst 282, 4 Iambl. in Nicom. 56, 7.

38, 2 *ordo enim rerum singularum in unum omnium arti-  
fici ratione conlatus concentum quendam . . . conficiet.* Statim  
sentis claudicare v. *omnium;* et debet explanari, quomodo ex re-  
rum ordine harmonia oriatur. Fortasse igitur sonum librariorum  
vitio in *omnium* depravatum est.

39, 25 *itaque hactenus a nobis intellegatur* (sic GL<sup>b</sup>, -gantur MFP, -gitur L<sup>a</sup> fortasse recte) *mente sola intelligibilis, summus qui dicitur deus, rector gubernatorque est sensibilis dei.* Certe deest particula connectens *intellegatur et est;* proinde ante *rector insere quod.*

40, 19 Mercurius de 'initiis omnium' disserens interpellatur ab Asclepio: *omnia ergo ipsa, ut dicis, quae est, o Trismegiste?* et respondet: *mundana . . . specierum omnium, quae insunt in uniuscuiusque, sicuti est, tota substantia.* Quid tandem voluerit Goldbacher *forma ergo* coniciens pro *omnia ergo* nescio, cum apertum sit Asclepium sciscitari, quomodo v. *omnia* accipendum sit; ergo *est* potius mutandum in *sunt.* Sed fortasse ne sequentia quidem *integra sunt,* quoniam excidit ablativus a *praepositione in pendens;* nam *tota substantia nominativi* potius sunt coniuncti cum *mundana.*

43, 8 *uti sint omnia, sicuti sunt et fuerunt, et futuris omni-  
bus deinceps naturam ex se nascendi sufficiat.* Erravit editor primus ceterique eum secuti *natura pro vero habentes;* contra *naturam retinendum et sufficient edendum est.* Pergit sic: *haec ergo ratio . . . tibi sit reddita, quare et quomodo siant omnia utriusque sexus.* — *Ergo deum dicis, o Trismegiste?* — *Non deum solum, o Asclepi, sed omnia animalia et inanimalia.* Haec plane intollerabilia esse primo vides obtutu; nam postquam omnia ἀπρε-  
θήλεα esse dixit Mercurius, quaerere non potest Asclepius, num deum dicat. Paulo ante haec protulerat Mercurius: *hic ergo (deus) solus ut omnia* (= ὡς πάντα ὥν cf. supra de 33, 24) *utraque*

*sexus fecunditate plenissimus, et ad haec referenda Asclepii interrogatio: utriusque sexus ergo deum dicis?*

43, 27 *hoc ergo omni vero verius manifestiusque mente percepto, quod ex omni illo totius naturae deo hoc sit cunctis . . . inventum tributumque mysterium.* In his cum statim coniecerem percepito, in idem dudum incidisse Hildebrandum cognovi; praeterea quomodo omnis dici possit deus non intellegens domino pro omni poni velim.

49, 21 *hoc est autem deus (sc. bonus) eius imago mundus boni. — Bonus, o Trismegiste? — Bonus, o Asclepi.* Quamquam necessarium esse demonstrare non possum, tamen cum paronomasia addendum censeo *mundus boni* <bonus>.

52, 7 *viventis etenim semper uniuscuiusque partis, quae est, sicuti est, in ipsoque mundo semper uno eoque animali semperque vivente, in eo nullus est mortalitatis locus.* Bene fecit Hildebrand, quod corruptelae signa adposuit, quae in editione novissima iniuria omissa sunt. Nec tamen desperata res est; nam cum perspexeris *viventis . . . partis genetivum absolutum esse ex Graeco translatum, ablativum igitur absolutum mundo . . . vivente esse non posse, unam relinqu videbis emendationis viam: in ipso[que] mundo;* quae iungenda puto cum *quae est*, non cum *viventis*. Quoniam et mundi partes et ipse mundus semper vivunt, nihil in mundo mortale est.

52, 16 *semel autem dispensavit (deus) vitam vitalibus cunctis, aeterna lege praestatur hoc more quo dicam.* Asyndeton intollerabile esse primus censuit codicis F librarius, qui exaravit prestans; Goldbacher in ipso initio supplevit si; ego utrumque improbans ante aeterna addiderim *quae*.

53, 6 *nihil stabile, nihil fixum, nihil inmobile nec nascentium nec caelestium nec terrenorum: solus deus et merito solus. . . . isque sua firma stabilitas est nec alicuius impulsu nec loco moveri potest.* Vereor ne inridear, si idem vitium bis inrepsisse, nec et post *inmobile* et post *impulsu* errore repetitum esse dicam; et de hoc quidem loco nulla dubitatio, de illo autem reputes velim, deo opponi posse nascentia eaque dividi in caelestia et terrena, non opponi posse nascentia caelestia terrena.

55, 17 *haec autem intentio pervidendis tantis angustissima est nobis, latissima vero, cum viderit, felicitate conscientiae. de inani vero, quod etiam magnum videtur esse quam plurimis, sic sentio.* Haereo primum in *pervidendis*, praesertim cum paulo

ante dictum sit hominem 'quasi per caliginem' videre caelestia; fortasse *prae videndis* edendum est. Deinde pro *felicitate* ponendum esse *felicitas* aut *felicitas est* non est quod moneam; de *cum viderit* qui ambiget, relego ad Firmicum p. 40, 7 et exempla graeca quae concessi Berl. phil. Wochenschr. 1898 col. 148. Postremo *magnum* dici posse τὸ κενόν (de quo similis extat disputatio in λόγῳ πρὸς Ἀσκληπιὸν καθολικῷ p. 25, 3 Parthey) non credo vitioque haud raro *magnum corruptum* puto ex *malignum*.

57, 17 *cum itaque haec duo, ex quibus constant forma et corpora, incorporalia sint, impossibile est formam unamquamque alteri simillimam nasci.* Singulae formae, quamquam unam eandemque referunt speciem divinam (ἰδέαν), tamen inter se dissimiles sunt, quod non ex sola constant specie divina et immutabili, verum etiam ex corpore mundi legibus et astrorum cursibus subiecto (cf. de orac. chald. 48. Anz Urspr. d. Gnosticismus 31 et passim). Haec sententia paulum obscurata restituitur, si pro *constant* ex FPL recipias *constat* et sic edas: *constat forma, et corpora <et> incorporalia . . .*

57, 22 *species ergo permanet ex se totiens pariens imagines tantas tamque diversas, quanta habet conversio mundi momenta, qui mundus in conversione mutatur; species vero nec mutatur nec convertitur.* In his qui mutandum esse in *quia* primo obtutu perspicitur; de sententia confer Porphyrii disputationem apud Stobaeum II 169 sqq. W. Proclum in remp. p. 27 sqq. Schoell, et quae ex libro gnostico, qui inscribitur Pistis Sophia, profert Anz 32: quinque planetarum dei animas quolibet temporis momento in mundum intrantes bonas aut pravas reddunt.

57, 30 *ergo hoc vis dicere de caelo terra et elementis, namque alia magis frequenter mutantur in species, caelum humescens vel arescens vel frigescens . . . Hic nihil immutandum, sed quae traduntur, aliter interpretanda sunt: nam quae alia . . . species?*

58, 7 in eadem de elementorum mutationibus disputatione: *ignis facit conversiones plurimas atque divinas.* At variae ignis formae divinae non sunt nec, si essent, id hoc loco commemorari deberet; *diurnas* verum esse quivis intellegit.

59, 21 herbae lapides aromata, quae aliquid divini habent, sacrificiis et cantibus coluntur, *ut illud, quod caeleste est, caelesti usu et (caelestius et libri, corr. ed. pr. — estne dittographia?) frequentatione inlectum in idola possit lactum humanitatis patiens longa durare per tempora.* Quid *laetum humanitatis?* Sacra et hymnos si quis ita vocari contenderet, ea quamvis laeta sint,

tamen *humanitatis* laetum dici non posse obicerem; sed si etiam hoc ei concederem, patiendi vocabulum ab ea re alienum esse dicerem: *legum humanitatis patiens* auctorem scripsisse censeo.

60, 16 fatum et necessitatem sequitur ordo: *nihil est enim sine ordinis compositione; in omnibus mundus iste perfectus est; ipse enim mundus ordine gestatur vel totus constat ex ordine.* Manifestum est mundi perfectionem hoc loco commemorari non posse, nisi ut aliquid ex ea comprobetur; id quod facillime adipiscemur, si ante *in omnibus* inseramus *si*.

Subiungo aliquot locos, quibus id quod inveni aut minus certum mihi videtur aut argumentatione non indiget. 29, 16 *ut celeriter de vera rationis continentia decidisti! an verae?* — 33, 18 *eundem secundum (deum) sensibilem [ita] dixerim* — 34, 26 *hanc aliud animal non fecit nec divinorum nec animalium nisi solus homo: immo mortalium.* — 37, 30 *musicen vero nosse nihil aliud esse nisi . . . scire:* infinitus nullam habet excusationem, proinde repone indicativum. — 40, 14 *unde et ideae dicuntur species, quod sint visibilis formae: malim visibles.* — 41, 29 post *infunditur* sine dubio lacuna hiat, fortasse etiam post *principes* l. 34 (adde v. c. *quorum rursus est princeps*); 42, 4 *secundus corruptum aut aliquid turbatum est.* — 45, 1 *ipsos ad inmortaliatis spem intentionemque protendens:* propono *protendentes* = αύτοὺς πρὸς τὴν τῆς ἀθανασίας ἐλπίδα προτείνοντες; si deus esset subiectum, expectares *ipsis imm. spem . . . pretendens.* — 49, 12 *restitutio peracta* (vel *peracto*) *temporis cursu* ex lectione optimorum librorum *per coacta* efficiendum videtur, non adoptanda deterior lectio Rohdio probata *per coactum temporis cursum.* — 55, 31 verba *nec istud enim credo* efficiunt parenthesis, post quam nonnulla exciderunt. — 56, 3 *quae addo ante aut,* 59, 13 *deleo ac,* 61, 19 propono *hoc enim sacrilegii simile est pro sacrilegis.*

## II.

Liber de mundo ab ipso Apuleio ex exemplo graeco translatus est. Qui quamquam alibi de vocabulis graecis ingeniose versis gloriatur, tamen facere non potuit, quin multa non mutata reciperet; sed ut legentium commoditati consuleret, latinis plerumque litteris usus est. Sequitur hoc ex libris manu scriptis; nam verba ab auctore graecis litteris exarata semper fere deformantur certis quibusdam corruptelis, quae si desunt, editor eisdem quibus

libri latinis litteris uti debet. Cadit hoc cum in omnes libros a Goldbachero editos tum in hunc.

108, 21 post eam (F, ea ceteri) vero partem, quae sancti aetheris finibus coercetur, cuius † mensa pensaque distinctum est et natura immutabilis regio et mortalis ac iam paene terrena. Statim vides ne inspecto quidem Ps. Aristotele scribendum esse immutabilis, regio est et dudum vidit Rohde; sed ne relativum quidem enuntiatum desperatum est, dum modo scribas distincta sunt, cf. Fronto de nep. am. 233 Naber: *bonos viros luctu adfici, malos re familiari incolumi frui neque mensum neque pensum fatorum lanificum duco.*

109, 28 elementorum quinque coniuges copulae his ordinatae vicibus adtinentur, ut adhaereant et gravioribus leviora. Nullo pacto defendi potest et ac sine dubio delendum est.

110, 25 his (maribus) iungitur Siculum et post Creticum, eo indiscretis finibus Pamphylium Assyrium Aegyptium. Ad eo quomodo suppleri possit latere — Hildebrandi hoc commentum — non video; immo scribendum est ei.

112, 10 exhalationes tenues et frequentes viisque visibles ad superiora minari ex gremio telluris. Quid minentur exhalationes tenues, non intellego edendumque puto manare.

113, 12 cum aqua nubem . . . perrumpit . . . et cedente aeris molli † cure praecipitata indignatione vehementi humum verberrat. Goldbacher aura coniecit profectus a codicis F conjectura admodum stulta cura; varia protulerunt editores priores: fortasse cute verum est.

118, 16 stativa lux est, quam sterigmon illi vocant, sine cursu iugi, sed prolixa lux stellaeque fluor et ignitus liquor. Lux stativa non modo cursum habet iugem, sed omnino nullum; ergo facillima mutatione scribendum iugis et prolixa lux. Quod nunc ipsum Lipsium praeripuisse ex Hildebrandi adnotatione mirum quantum incommoda disco; et persaepe editori novissimo accedit, ut certissimas priorum emendationes sperneret, velut medianis exortibus Salmasii 114, 7 cum in veteribus editionibus expunet 121, 8; confudit, omniparentis, imitata 122, 6. 20. 27; quod agitari volent Lipsii 126, 29; qualitatibus Vulcanii 127, 21; ad convivii repotia [et] vespertinus comessator adventat Scaligeri 132, 25: quod adpositionis genus non illustro nisi uno exemplo ex initio metamorphoseon petito: si quid forensis sermonis rudit locutor offendero.

118, 18 sed plerumque luces istae repentinae ortae statim

*occidunt et item, ut se ostenderint, aliquantisper manent . . . . nihil horum quippe loci vel temporis in nascendo idem potuit obtinere. Extremis signa corruptelae adscripsit Hildebrand, tamquam integra exhibet Goldbacher fortasse commotus a Koziolio, qui quae profert p. 341 indigna sunt quae repetas. Apud auctorem graecum haec extant: πάντα δὲ ἀβέβαια· οὐδέποτε γάρ τι τούτων ἄει (? εἰς?) φανερὸν ἴστορηται κατεστηριγμένον. Quidquid censes, cente aliquo modo dicendum est neque locum neque tempus talium imaginum in caelo apparentium diligenter observatum esse; pro certo igitur habes pro *idem* Apuleium scripsisse fidem potuit obtainere.*

121, 23 *hoc Heraclitus sententiarum suarum mobilis ad hunc modum est* <*prosecutus*> (aut quocunque addere vis verbum). Haud pauca excogitarunt viri docti, quae partim nihili sunt, partim veri dissimilia: *nubilis* proposuit Floridus, *aerumnabilis* Rohde. Evidem *nodulis* verum puto; quo vocabulo praeter ipsum Apuleium met. III 23 usus est Plinius maior. Plura adferre talia quale Iuvenalis illud: *qui iuris nodos et legum aenigmata solval* (VIII 50) inutile duco.

131, 6 *nec diversis et insperatis temporibus observantissimam legem suorum aliquando itinerum mentiuntur* (*astra caelestia*). Legem mentiri etsi per se dici potest, tamen huic loco aptum minime videtur; et si apparatus consulueris cognosces ex solo codice F interpolationibus scatente hoc receptum esse, PL praebere metiuntur idque verum videri<sup>1</sup>. Vulcanii *observalissimam* ne probes, admoneo de titulis sepulcralibus *filio amantissimo* talia persaepe exhibentibus: cf. Buecheler ad Anth. 1045, 4 CIL VI 1516. 8572 (*filio desiderantissimo*) VIII 2397 XI 1069, 7. 2330, 8 XII 787. 956 Lipsii indicem actorum apocryphorum, Hartelium Arch. f. Lexik. III 13.

132, 14 *deus immobilis circumfert et regit cunctas naturae formas, quas diversis regionibus commovens \*\*\*, ut est lex . . . .* Sic hunc locum exhibit Goldbacher, ut ad lacunas statuendas pronus est; equidem scribendum censeo *cuncta, naturas formasque*

<sup>1</sup> Sic 115, 13 *densusque et humidas nubes presse agit VF rectius dant prae se;* 116, 16 *Galli circum appellant a turbine eius et vertice ex Gellio,* quem compilavit Apuleius vel potius interpolator *vertigine depromi* poterat; 125, 6 *talis quippe humilitas deiecti et minus sublimis officio ne cum homine quidem convenit:* hic *officii edi* deberet, etiamsi non in codice F extaret; *idem recte addit et 126, 5.*

*diversis*, quae non prorsus respondent, sed similia sunt graecis: πάντα κινεῖ καὶ περιάγει ὅπου βούλεται καὶ ὅπως ἐν διαφόροις ἴδεαις τε καὶ φύσεσιν.

Ut supra de nonnullis locis paucis dissero. 106, 19 depravatum iudico paucis, cum potius exspectes parvis; 107, 28 *labitur cum orbis inerranti regione*: fortasse *inerrantibus*; 108, 25 an *adtingantur?* 109, 7 *turbine flatibus typhonumque conflictu*: nempe *turbinum*; 109, 21 *supplendum duco similes huic alias et alias* ⟨*maiores et*⟩ *minores circumfundit Oceanus* cum in Graecis sit τὰς μὲν μείζους αὐτῆς, τὰς δὲ ἐλάττους; 111, 3 an *sinum pro simul?* 120, 14 *audiuntur mugitus interioribus geminitibus expressis*: *praeferrem expressi*; 133, 4 *sicut mundi universitas regitur*: fortasse *sic et*; 133, 18 *multiformis*; *nobis idem est si minus verum, at certe priorum commentis veri similius mibi videtur.*

Vratislaviae.

W. Kroll.